




ORNATISSIMIS AC  
DOCTISSIMIS ADOLE-  
*scentibus,*

JOHANNI-HENRICO ANGELO,  
GEORGIO ULOTHO,  
JOHANNI-DANIELI VICELIO,  
ANTONIO DICKHUDIO,  
JOHANNI-DANIELI VOLSCIO,  
Darmstatinis,

*Theologiae, Iurisprudentiae & artium hu-  
maniorum Studiosis*

S. P. P.



IN O vendibili non opus esse su-  
spensâ hederâ , & vetustate tri-  
tum , & veritate communum  
est proverbium. Itaque quam-  
vis mihi tandem aliquando In-  
stitutiones Rhetoricas , nescio  
quo cum omine & fœnore , post  
festum quasi edenti , artis , de qua  
præcepta traditurus sum , laudes & præconia decan-  
tanda de jure & more essent , ut ejusdem dignitate o-  
ratoriæ Studiosi incitati , utilitate inducti , dulcedi-  
ne allecti , suavitate capti , laude denique & præconiis  
inflammati , ardenter in eam animi impetu feran-  
tur totique scientiæ ejusdem comparandæ deside-

) : ( 2

rio